

*Orationes fiant pro omnibus hominibus ad Deum  
qui omnes homines vult salvos fieri.*

Léctio Epístolæ primæ beāti Pauli apóstoli  
ad Timótheum

2, 1-8

Caríssime:

- <sup>1</sup> **O**bsecro primo ómnium fieri obsecratiónes,  
oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiões  
pro ómnibus homínibus,  
<sup>2</sup> pro régibus et ómnibus, qui in sublimitáte sunt,  
ut quiétam et tranquíllam vitam agámus  
in omni pietáte et castitáte.  
<sup>3</sup> Hoc bonum est  
et accéptum coram salvatóre nostro Deo,  
<sup>4</sup> qui omnes hómines vult salvos fieri  
et ad agnitiónem veritátis veníre.  
<sup>5</sup> Unus enim Deus,  
unus et mediátor Dei et hóminum,  
homo Christus Iesus,  
<sup>6</sup> qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus,  
testimónium tempóribus suis;  
<sup>7</sup> in quod pósito sum ego prædicátor et apóstolus  
— veritátem dico, non méntior —  
doctor géntium in fide et veritáte.  
<sup>8</sup> Volo ergo viros oráre in omni loco  
levántes puras manus sine ira et disceptatióne.

Verbum Dómini.